

qui debet, ut nemini se intelligat commendationem unquam fuisse. Quamobrem à te majorem in modum peto, ut, cum omnes meos, & quæ ac tuos observare pro nostra necessitudine debeas, hunc in primis ita in tuam fidem recipias, ut ipse intelligat, nullam rem sibi majori usq[ue], aut ornamento, quam meam commendationem, esse potuisse. Vale.

ARGUMENTUM.

Perit, ut Manium Curium ab omni incommode, detrimento, molestia integrum conservet. Vide epist. 17.

M. T. C. Aucto Procos. S. D.

Sumpsi hoc mihi pro tua in me observantia, quam penitus perspexi, quamdiu Brundusii fuimus, ut ad te familiaritatem, et quasi pro meo jure scriberem, si qua res esset, de qua valde laborarem. M. Curius, qui Patris negotiator, ita mihi familiaris est, ut nihil possit esse conjunctius. Multa illius in me officia, multa in ullum mea, quodque maximum est, summus inter nos amor, et mutuus. Quæ cum ita sint, si ullam in amicitia mea spem habes; si ea, quæ in me officia, et studia Brundusii contulisti, vis mihi etiam gratiiora efficere, quamquam sunt gratissima; si me à tuis omnibus amari vides; hoc mihi da atque largire, ut M. Curium sartum, et tectum, ut ajunt, ab omnique in commodo, detimento, molestia sincerum, integrumque conserves. Et ipse spondeo, et omnes hoc tibi cui pro me recipient, ex mea amicitia, et ex tuo in me officio maximum te fructum, summamque voluntatem esse capturum. Vale.

ARGUMENTUM.

P. Messienum commendat.

M. T. C. P. Cæsio S. D.

P. Messienum, equitem romanum, omnibus rebus ornatum, meumque perfamiliarem, tibi commendabo ea commendatione, quæ potest esse diligentissima. Peto à te et pro nostra, et pro paterna amicitia, ut eum in tuam fidem recipias, ejusque rem, famamque tueare. Virum bonum, tuaque amicitia dignum tibi adjunxeris, mihique gravissimum feceris.

ARGUMENTUM.

Hospitem suum Aristotelem commendat.

M. T. C. Regi S. D.

A. Licinius Aristoteles, Melitensis, antiquissimus est hospes meus, et præterea conjunctus magno usu familiaritatis. Hæc cum ita sint, non dubito, quin tibi satis commendatus sit. Etenim ex multis cognosco, meam commendationem plurimum apud te valere. Hunc ego à Cæsare liberavi. Frequens enim fuerat nobiscum: atque etiam diutius in causa est, quam nōs, commoratus. Quò melius te de eo existimaturum arbitror. Fac igitur, mi Rex, ut intelligat, has sibi litteras plurimum profuisse. Vale.

ARGUMENTUM.

Genucilium Curvum commendat.

M. T. C. Q. Thermo præpræt. S. D.

L. Genucilio Curvo jampridè familiarissime

utor, optimo viro, et homine gratissimo. Eum tibi penitus commendo, atque trado: primùm ut omnibus in rebus ei te commodes, quoād fides tua, dignitasque patietur: patietur autem in omnibus. Nihil enim abs te unquam, quod sit alienum tuis, aut etiam suis moribus, postulabit. Præcipue autem tibi commendo negotia ejus, quæ sunt in Hellesponto: primùm, ut obtineat id juris in agris, quod ei Pariana civitas decrevit, et dedit, et quod sempèr obtinuit sine ulla controversia: deinde, si quid habebit cum aliquo Hellespontio controversiæ, ut in illam, rejicias. Sed non mihi videor, cum tibi totum hominem diligentissimè commendarim, singulas ad te ejus causas perscribere debere. Summa illa sit, quidquid officii, beneficii, honoris in Genuciliū contuleris, id te existimabo in me ipsum, atque in rem meam contulisse. Vale.

ARGUMENTUM.

Primùm agit gratias Thermo, quod Marcilium liberalissime tractaverit: deinde petit, operam det, ne socrus Marciliū rea fiat.

M. T. C. Thermo propræt. S. D.

Cùm mihi multa grata sunt, quæ tu, adductus mea commendatione fecisti, tūm in primis, quod M. Marcilium amici, atque interpretis mei filium, liberalissimè tractavisti. Venit enim Laodiceam, et tibi apud me, mihiq[ue] proprie te gratias maximas egit. Quarè, quod reliquum est, à te peto, quando apud gratos homines beneficium ponis, ut eò libentius his commodes, operamque des, quoād fides tua patietur, ut socrus adolescentis rea ne

fiat. Ego cùm anteà studiosè commendabam Marcilium, tūm multò nunc studiosius, quòd in longa apparitione singularem, et propè incredibilem patris Marciliū fidem, abstinentiam, modestiamque cognovi. Vale.

ARGUMENTUM.

Commendat Annejum, legatum suum, in controversia Sardiana.

M. T. C. Thermo propræt. S. D.

Etsi mihi videor intellexisse, cum tecum Ephesi de re M. Annei, legati mei, locutus sum, te ipsius causa vehementer omnia velle: tamen et M. Annejum tanti facio, ut mihi nihil putem prætermittendum, quod illius intersit: et me à te tanti fieri puto, ut non dubitem, quin ad te tuam voluntatem magnus cumulus accedat commendationis meæ. Nam cùm jamdiù diligerem M. Annejum, deque eo sic existimarem, ut res declarat, quod ultrò ei detulerim legationem, cum multis petentibus denegassem; tūm verò posteaquam mecum in bello, atque in re militari fuit, tantam in eo virtutem, prudentiam, fidem, tantamque erga me benevolentiam cognovi, ut hominem neminem pluris faciam. Eum cum Sardianis habere controversiam scis. Causam tibi exposuimus Ephesi: quam tu tamen corām facilius, meliusque cognoscas. De reliquo mihi meherculè diù dubium fuit, quid ad te potissimum scriberem. Jus enim quemadmodū dicas, clarum, et magnâ cum tuâ laude notum est: nobis autem in hac causa nihil aliud opus est, nisi te jus instituto tuo dicere. Sed tamen, cum

me non fugiat, quanta sit in prætore auctoritas, præserim ista integritate, gravitate, clementia, qua te esse inter omnes constat: peto abs te pro nostra conjunctissima necessitudine, plurimisque officiis paribus, ac mutuis, ut voluntate, auctoritate, studio tuo perficias, ut M. Annejus intelligat, te et sibi amicum esse, quod non dubitat (sæpè enim mecum locutus est), et multò amicorem his meis litteris esse factum. In tuo toto imperio, atque provincia nihil est, quod mihi gratius facere possis. Jam, apud ipsum, gratissimum hominem, atque optimum virum, quam benè positurus sis studium tuum, atque officium, dubitare te non existimo. Vale.

ARGUMENTUM.

Negotia Cluvii Puteolani commendat.

M. T. C. Thermo prop. S. D.

Cluvius Puteolanus valde me observat, valde que est mihi familiaris. Is ita sibi persuadet, quod in tua provincia negotii habet, nisi, te provinciam obtinente, meis commendationibus conferat, id se in perditis, et desperatis habiturum. Nunc, quandò mihi ab amico officiosissimo tantùm oneris imponitur, ego quoque tibi imponam protinus in me summis officiis; ita tamen, ut tibi nolim molestus esse. Myllasii, et Alabandenses pecuniam Cluvio debent. Dixerat mihi Euthydemus, cum Ephesi essem, se curaturum, ut Ecdici Myllasii Romanam mitterentur. Id factum non est: legatos audio missos esse: sed malo Ecdicos ut aliquid

confici possit. Quarè peto à te, ut eos, et Alabandenses jubeas Ecdicos Romanam mittere. Præterea Philotes Alabandensis Cluvio dedit: hæ commissæ sunt. Velim cures, ut aut de hypothecis decedat, easque procuratoribus Cluvii tradat, aut pecuniam solvat. Præterea Heracleotæ, et Bargyletzæ, qui item debent, aut pecuniam solvant, aut fructibus suis satisfaciant. Caunii præterea debent, sed a-junt, se depositam pecuniam habuisse. Id velim cognoscas: et si intellexeris, eos nequè ex edicto, nequè ex decreto depositam habuisse, des operam, ut usuræ Cluvio, instituto tuo, conserventur. His de rebus eo magis labore, quod agitur res Cn. Pompeii etiam, nostri necessarii, et quod is magis etiam mihi laborare videtur, quam ipse Cluvius: cui satisfactum esse à nobis valde volo. His de rebus te vehementè etiam, atque etiam rogo. Vale.

ARGUMENTUM.

Petit à Thermo, ut Annejum, legatum suum, remittat: eumque in negotio suo commendat.

M. T. C. Thermo prop. S. D.

Quò magis quotidiè ex litteris, nuntiisque bellum magnum esse in Syria, cognosco, eò vehementè à te pro nostra necessitudine contendō, ut mihi M. Annejum legatum primo quoquè tempore remittas. Nam ejus opera, consilio, scientia rei militaris vel maximè intelligo, me, et temp. adjuvari posse, quod nisi tanta res ejus ageretur, nec ipse adduci potuisset, ut à me discederet, nequè ego, ut eum à me dimitterem. Ego in Ciliaciam proficiisci cogito circiter Kalend. Majas. An.

te eam diem Annejus ad me redeat, oportet. Illud, quod tecum et corām, et per litteras diligenter egi, id et nunc etiam, atque etiam rogo, curæ tibi sit, ut suum negotium, quod habet cum populo Sardiano, pro causæ veritate, et pro sua dignitate conficiat. Intellexi ex tua oratione, cum tecum Ephesi locutus sum, te ipsius Anneii causā omnia velle: sed tamen sic velim existimes, te mihi nihil gratiū facere posse, quām si intellexero, per te illum ipsum negotium ex sententia confisces. Idque quamprimum ut efficias, te etiam, atque etiam rogo. Vale.

ARGUMENTUM.

Commendat L. Custidium.

M. T. C. C. Titio, L. F. Rufo præt. urb. S. D.

L. Custidius est tribulis, et municeps, et familiaris meus. Is causam habet: quam causam ad te deferet. Commendo tibi hominem, sicuti tua fides, et meus pudor postulat, tantū, ut faciles ad te aditus habeat; quæ æqua postulavit, ut, lubente te, impetreret; sentiatque, meam sibi amicitiam, etiam cum longissimè absim, prodesse in primis apud te. Vale.

ARGUMENTUM.

Commendat M. Fabium.

M. T. C. C. Curtio Pæducæano præt. S. D.

M. Fabium unicè diligo, summaque mihi cum eo consuetudo, et familiaritas est pervetus. In

ejus controversiis quid decernas, à te non peto, (servabis, ut tua fides, et dignitas postulat, editum, et institutum tuum) sed ut quām facillimus ad te aditus habeat, quæ erunt æqua, lubente te impetreret: ut meam amicitiam sibi, etiam cum procūl absim, prodesse sentiat; præsertim apud te. Hoc vehementer etiam atque etiam te rogo. Vale.

ARGUMENTUM.

Commendat Livinejum libertum.

M. T. C. C. Munatio C. F. S. D.

L. Livinejus Trypho est omnino L. Reguli, familiarissimi mei, libertus, cuius calamitas etiam officiosorem me facit in illum: nam benevolentior, quām sempèr fui, esse non possum: sed ego libertum ejus per se ipsum diligo. Summa enim ejus ergà me officia extiterunt iis nostris temporibus, et quibus facillimè bonam benevolentiam hominum, et fidem perspicere potui. Eum tibi ita commendo, ut homines grati, et memores benemeritos de se commendare debent. Pergratum mihi feceris, si ille intellexerit, se, quòd pro salute mea multa pericula adierit, sæpè hyeme summa navigarit, pro tua ergà me benevolentia gratum etiam tibi fecisse. Vale.

ARGUMENTUM.

Commendat Pinnium in exactione pecuniae, quam ei Nicæenses debent.

M. T. C. P. Silio Propræt. S. D.
T. Pinnio familiarissimè me usum esse, scire te

arbitror: quod quidem ille testamento declaravit, qui me cum tutorem, cum etiam secundum haereditatem instituerit. Ejus filio, mirè studioso, et eruditio, et modesto pecuniam Nicænenses grandem debent ad H. S. octogies: et, ut audio, in primis volunt ei solvere. Pergratum igitur mihi feceris, quādū non modo reliqui tutores, qui sciunt, quanti me facias, sed etiam puer ipse sibi persuasit, te omnia mea causa facturum esse, si dederis operam, quoād tua fides, dignitasque patietur, ut quamprimum pecunia Pinnio solvatur Nicæniuum nomine. Vale.

ARGUMENTUM.

Primum de Attilio gratias agit, deinde Quintum fratrem commendat.

M. T. C. Silio Propræt. S. D.

Et in Attilii negotio te amayi: cum enim serò venissem, tamen honestum equitem romanum beneficio tuo conservavi, et meherculè sempèr sic in animo habui, te in meo ære esse proptèr Lamiae nostri conjunctionem, et singularem necessitudinem. Itaque primū tibi ago gratias, quād me omni molestia liberas: deinde impudentia prosequor: sed idem sarciam, te enim sempèr sic collam, et tuebor, ut quem diligentissimè. Quintum fratrem meum, si me diligis, eo numero cura ut habeas, quo me. Ità magnum beneficium tuum magno cumulo auxeris. Vale.

ARGUMENTUM.

Commendat M. Lænium studiose admodum.

M. T. C. Silio Propræt. S. D.

Non putavi fieri posse, ut mihi verba deessent, sed tamen in M. Lænio commendando desunt. Itaque rem tibi exponam paucis verbis, sed tamen ut planè perspicere possis voluntatem meam. Incredibile est, quanti faciatnus et ego, et frater meus, qui mihi charissimus est, M. Lænium. Id fit cùm plurimis ejus officiis, cum summa probitate, et singulari modestia. Num ego à me invitissimus dimisi, cum propèr familiaritatem, et consuetudinis suavitatem, cum quād consilio ejus fideli, ac bono libenter utebar. Sed vereor, ne jam mihi superesse verba putas, quā dixeram defutura. Commando tibi hominem, sicut intelligis, me, de quo ea suprà scripserim, debere commendare. A teque vehementer etiam, atque etiam peto, ut, quod habet in tua provincia negotii, expediás: quod tibi videbitur rectum esse, ipsi dicas. Hominem facilissimum, liberalissimumque cognosces. Itaque te rogo, ut eum solutum, liberum, confessis ejus negotiis per te, quamprimum ad me remittas. Id mihi, fratiique meo gratissimum feceris. Vale.

ARGUMENTUM.

Agit gratias de Nerone honorificentissimè tractato; eumque in omnibus rebus vehementer commendat.

M. T. C. Silio Propræt. S. D.

Nero meus mirificas apud me tibi gratias egit,

prosūs incredibiles, ut nullum honorem sibi haberi potuisse diceret, qui à te prætermisssus esset; magnum fructum ex ipso capies. Nihil est enim illo adolescenti gratiūs: sed meherculè mihi quæ gratisimum fecisti; pluris enim ex omni nobilitate neminem facio. Itaque si ea feceris, quæ ille per me tecum agi voluit, gratisimum mihi feceris. Primū de Pausania Alabandensi, sustentes rem, dum Nero veniat. Vehementer enim ejus causa cupere eum intellexi. Itaque hoc valdè tergo. Deindè Niszos, quos Nero in primis habet necessarios, diligentissimèque tuetur, ac defendit, habeas tibi commendatissimos: ut intelligat illa civitas, sibi in Neronis patrocinio summum esse præsidium. Strabonem Servilium tibi sèpè commendavi: nunc èo facio id impensiùs, quod ejus causam Nero suscepit. Tantùm à te petimus, ut agas eam rem, nec relinquas hominem innocentem ad alicujus tui dissimilis quæstum. Id tùm gratum mihi erit: tùm etiam existimabo, te humanitate tua esse usum. Summa hujus epistolæ hæc est, ut ornes omnibus rebus Neronem, sicut instituisti, atquè fecisti. Magnum theatrum habet ista provincia, non ut hæc nostra, adolescentis nobilis, ingeniosi, abstinentis commendationem, atquè gloriam. Quare si te fauore usus erit, sicut et uetus profectò, et usus est, amplissimas clientelas acceptas à majoribus confirmare poterit, et beneficiis suis obligare. Hoc in genere si eum adjuveris eo studio, quo ostendisti, apud ipsum præclarissimè posueris, sed mihi etiam gratisimum feceris. Vale.

ARGUMENTUM.

Cupit pactiones per Hisponem cum civitatibus confici, in eoque illum Silio commendat.

M. T. C. Silio Propræt. S. D.

Cum P. Terencio Hispone, qui operas in scriptura pro magistro dat, mihi summa familiaritas, consuetudoque est: multaque, et magna intè nos officia paria, et mutua intercedunt. Ejus summa existimatio agitur in eo, ut pactiones cum civitatibus reliquis conficiat. Non me præterit, nos eam rem Ephesi expertos esse, nequè ab Ephesis ullo modo impetrare potuisse. Sed quoniam, quemadmodùm omnes existimant, et ego intelligo, tua cùm summa integritate, tùm singulari humilitate, et mansuetudine consecutus es, ut libentissimis Græcis, nutu, quod velis, consequare; peto à te majorem in modum, ut honoris mei causa hac laude Hisponem affici velis. Prætereà cum sociis scripturæ mihi summa necessitudo est, non solùm ob eam causam, quod ea societas universa in mea fide est, sed etiam, quod plerisque sociis utor familiarissimè. Ita et Hisponem meum per me ornaris, et societatem mihi conjunctiorem feceris, tuque ipse et ex ejus observantia, gratisimi hominis, et ex sociorum gratia, hominum amplissimorum, maximum fructum capies, et me summo beneficio affeceris. Sic enim velim existimes, ex tota tua provincia, omniq[ue] isto imperio nihil esse, quod mihi gratiūs facere possis. Vale.

ARGUMENTUM.

Cæcinam in colligendis Asiaticæ negotiationis reliquiis commendat.

M. T. C. P. Servilio Isaurico Procos. S. D.

A. Cæcinam, maximè proprium clientem familiæ vestræ, non commendarem tibi, cum scirem, qua fide in tuos, qua clementia in calamitosos soleres esse, nisi me et patris ejus, quo sum familiarissimè usus, memoria, et hujus fortuna ita moveret, ut hominis omnibus tecum studiis, officiisque conjunctissimi, movere debeat. A te hoc omni contentione peto, sic, ut majore cura, majore animi labore petere non possim, ut ad ea, quæ tua sponte sine cuiusquam commendatione faceres in hominem tantum, et talem, calamitosum, aliquem afferant cumulum mæ litteræ, quod studiosius eum, quibuscumque rebus possis, juves. Quod si Romæ fuisses, etiam salutem A. Cæcinæ essemus, ut opinio mea fert, per te consecuti. De quata men magnam spem habemus, freti clementia collegæ tui. Nunc, quando justitiam tuam secutus, tutissimum sibi portum provinciam istam esse duxit: etiam, atquæ etiam te rogo, atquæ oro, ut eum et in reliquiis veteris negotiationis colligendis juves, et ceteris rebus tegas, atquæ tueare. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

ARGUMENTUM.

Commendat Andronem, Arthemonis filium, Laodicensem.

M. T. C. Servilio S. D.

Ex provincia mea Ciliciensi, cui scis Asiaticas

LIBER XIII.

attributas fuisse, nullo sum familiarius usus, quam Androne, Arthemonis filio, Laodicensi: eumque habui in ea civitate tum hospitem, tum vehementer ad meæ vitæ rationem, et consuetudinem accommodatum: quem quidem multò etiam pluris, posteaquam decessi, facere cœpi, quod multis rebus expertus sum gratum hominem, meique memorem. Itaque eum Romæ libentissimè vidi. Non te enim fugit, qui plurimis in ista provincia benignè fecisti, quam multi grati reperiantur. Hæc propterea scripsi, ut me non sine causa laborare intelligeres, et ut tu ipse eum dignum hospitio tuo judicares. Feceris igitur mibi gratissimum, si ei declaratis, quanti me facias, id est, si receperis eum in fidem tuam, et, quibuscumque rebus honestè, ac sine molestia tua poteris, adjuveris. Hoc mihi vehementer erit gratum. Idque ut facias, te etiam, atquæ etiam rogo. Vale.

ARGUMENTUM.

Significat, quam sibi gratum fuerit, cursum illius navigationis cognoscere. Petit, ut de statu provinciæ, institutisque suis scribat, positemo suum officium ad omnia pollicetur.

M. T. C. P. Servilio Isaurico Procos. Collegæ S. D.

Gratæ mihi vehementer tuæ litteræ fuerunt, ex quibus cognovi cursus navigationum tuarum. Significabas enim memoriam tuam nostræ necessitudinis: qua mihi nihil poterat esse jucundius. Quod reliquum est, multò etiam erit gratius, si ad me de repub. id est, de statu provinciæ, de institutis tuis familiariter scribes; quæ quamquam

ex multis pro tua claritate audiam, tamen libentissimè ex tuis litteris cognoscam. Ego ad te de reip. summa quid sentiam, non sàpè scribam, propter periculum ejusmodi litterarum: quid agatur autem, scribam sàpiùs: sperare tamen videor, Cæsari collegæ nostro, fore curæ, et esse, ut habeamus aliquam rem publ. cuius consiliis magni referebat, te interesse. Sed, si tibi utilius est, id est gloriosius, Asiaz præsse, et istam partem reipub. malè affectam tueri, mihi quoquè idem, quod tibi, et laudi tuæ profuturum est, optatiùs debet esse. Ego, quæ ad tuam dignitatem pertinere arbitrabor, summo studio, diligentiaque curabo: in primisque tuebor omni observantia clarissimum virum, patrem tuum: quod et pro vetustate necessitudinis, et pro beneficiis vestris, et pro dignitate ipsius facere debo. Vale.

ARGUMENTUM.

Petit, ut C. Curtium in fidem recipiat, habeatque in numero suorum.

M. T. C. Servilio Collegæ S. D.

C. Curtius Mithres est ille quidem, ut scis, libertus Posthmii, familiarissimi mei. Sed me colit, et observat æquè, atquè illum ipsum patronum suum. Apud eum ego sic Ephesi fui, quotiescumquè fui, tamquam domi meæ: multaque acciderunt, in quibus et benevolentiam ejus erga me experirer, et fidem. Itaque, si quid aut mihi, aut meorum cuiquam in Asia opus est, ad hunc scribere consuevi, hujus cum opera, et fide, tûm domo, et re uti, tamquam mea. Hæc ad te eò plu-

ribus scripsi, ut intelligeres, me non vulgariter, nec ambitiosè, sed ut pro homine intimo, ac mihi pernecessario scribere. Peto igitùr à te, ut in ea controversia, quam habet de fundo cum quodam Colophonio, et in cæteris rebus, quantum fides tua patietur, quantumque tuo commodo poteris, tantum ei honoris mei causa commodes: etsi, ut ejus modestiam cognovi, gravis tibi nulla in re erit. Si et mea commendatione, et sua probitate assecutus erit, ut de se benè existimes, omnia se adeptum arbitrabitur. Ut igitùr eum recipias in fidem, habeasque in numero tuorum, te vehementer etiam, atquè etiam rogo. Ego, quæ te velle, quæque ad te pertinere, arbitror, omnia studiosè, diligenterque curabo. Vale.

ARGUMENTUM.

T. Ampium Menandrum non vulgariter commendat.

M. T. C. Servilio Collegæ S. D.

Quia non est obscura tua in me benevolentia, sic fit, ut multi per me tibi velint commendari. Ego autem tribuo nonnunquam in vulgus, sed plerumque necessariis, ut hoc tempore: nam cum T. Ampio Balbo mihi summa familiaritas, necessitudoque est. Ejus libertum T. Ampium Menandrum, hominem frugi, et modestum, et patrono, et nobis vehementer probatum, tibi commendando majorem in modum. Vehementer mihi gratum ficeris, si, quibuscumque rebus sine tua molestia poteris, ei commodaris: quod ut facias, te vehementer etiam, atquè etiam rogo. Vale.

ARGUMENTUM.

Commendat T. Agusium veterem amicum.

M. T. C. Cassius Servil. Collegæ S. D.

Multos tibi commendem, necesse est; quandò omnibus nota nostra necessitudo est, tuaque in me beneyolentia. Sed tametsi omnium causa, quos commendo, velle debeo: tamen cum omnibus non eadem mihi causa est. T. Agusius et comes meus fuit illo miserrimo tempore, et omnium itinerum, navigationum, laborum, periculorum meorum socius: neque hoc tempore discessisset à me, nisi ego ei permissem. Quarè sic tibi eum commendō, ut unum de meis domesticis, et maximè necessariis. Pergratum mihi feceris, si eum ità tractaris, ut intelligat, hanc commendationem sibi magno usui, atquè adjumento fuisse. Vale.

ARGUMENTUM.

Petit à Servilio ut omnibus rebus Cærelliæ benignè faciat, quemadmodum receperat.

M. T. C. Servilio Collegæ S. D.

Cærelliæ necessariae meæ, rem, nomina, possessiones Asiaticas commendavi tibi præsens in horis tuis, quām potui diligentissimè: tuque mihi, pro tua necessitudine, proque tuis in me perpetuis, maximisque officiis, omnia te facturum liberalissimè recepisti. Meminisse te id spero: scio enim solere. Sed tamen Cærelliæ procuratores scripserunt, te propter magnitudinem provinciæ,

multitudinemque negotiorum, etiam, atquè etiam esse commonefaciendum. Peto igitur, ut meministis, te omnia, quæ tua fides pateretur, mihi cumulatè recepisse; equidè existimo, habere te magnam facultatem (sed hoc tui est consilii, et judicii) ex eo S. C. quod in heredes C. Venonii factum est, Cærelliæ commodandi. Id S. C. tu interpretabere pro tua sapientia. Scio enim, ejus ordinis auctoritatem sempè apud te magni fuisse. Quod reliquum est, sic velim existimes, qui bùscumque rebus Cærelliæ benignè feceris, mihi te gratissimum esse facturum. Vale.

ARGUMENTUM.

Gratulatur de redditu incolumi: gratias agit quodammodo de Egnatio, et Oppio: petit, ut Antipatri filios sibi condonet.

M. T. C. Q. Philippo Procos. S. D.

Gratulor tibi, quod ex provincia salvum te ad tuos recepisti incolumi fama, et repub. quod si Roma te vidissēm, coram gratias egissem, quod tibi L. Egnatius, familiarissimus meus, absens, L. Oppius præsens curè fuisset. Cum Antipatro Derbete mihi non solū hospitium, verum etiam summa familiaritas intercedit. Ei te vehementè succensisse audivi, et molestè tuli. De re nihil possum judicare: nisi illud mihi certè persuadeo, te talē virum nihil temerè fecisse. A te autem pro vetere nostra necessitudine etiam, atquè etiam peto, ut ejus filios, qui in tua potestate sunt, mihi potissimum contñones: nisi quid existimas in ea re violati existimationem tuam: quod ego si ar-

bitrare, nunquam te rogarem, mihique tua fama multò antiquior esset, quam illa necessitudo est. Sed mihi ita persuadeo (potest fieri, ut falar) eam rem laudi tibi potius, quam vituperationi fore. Quid fieri possit, et quid mea causa facere possis, (nam, quid velis non dubito) velim, si tibi grave non erit, certiorem me facias. Vale.

ARGUMENTUM.

Oppium præsentem, et Egnatii absentis negotia commendat.

M. T. C. Philippo Procos. S. D.

Etsi non dubito pro tua in me observantia, proque nostra necessitudine, quin commendationem meam memoria teneas: tamen etiam atquè etiam eumdem tibi L. Oppium, familiararem meum, præsentem, et L. Egnatii, familiarissimi mei absentis negotia commendo. Tanta mihi cum eo necessitudo est, familiaritasque, ut si mea res esset, non magis laborarem. Quapropter gratissimum mihi feceris, si curaris, ut is intelligat, me à te tantum amari, quantum ipse existimo. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Idque ut facias, te vehementer rogo. Vale.

ARGUMENTUM.

Commendat Avianum Flaccum.

M. T. C. T. Titio, T. F. Legato S. D.

Etsi non dubito, quin apud te mea commendatio prima satis valeat: tamen obsequor homini fa-

miliarissimo C. Aviano Flacco: cuius causa omnia tūm cupio, tūm meherculè etiam debo. De quo et præsens tecum egi diligentè cum tu mihi humanissimè respondisti, et scripsi ad te accuratè anteā. Sed putat, interesse sua, me ad te quam sèpissimè scribere. Quare velim mihi ignoscas, si illius voluntati obtemperans, minus videbor meminisse constantiæ tuæ. A te idem illud peto, ut de loco, quo deportet frumentum, et de tempore Aviano commodes, quorum utrumque per eumdem me obtinuit triennium, dum Pompejus isti negotio præfuit. Summa est, in quo mihi gratissimum facere possis, si curaris, ut Avianus, quandò se à me amari putat, me à te amari sciatur. Erit id mihi pergratum. Vale.

ARGUMENTUM.

Petit, ut C. Valgius emptam possessionem in agro Fregellano liberam, immunemque habeat.

M. T. C. Quatuor Vitis, et Decurionibus S. D.

Tantæ mihi cum Q. Hippio causæ necessitudinis sunt, ut nihil possit esse conjunctiùs, quam nos inter nos sumus. Quod nisi ita esset, uterer mea consuetudine, ut vobis nulla in re molestus essem. Etenim vos mihi optimi testes estis, cum mihi persuasum esset, nihil esse, quod à vobis impetrare non possem, nunquam me tamen gravem vobis esse voluisse. Vehementè igitur vos etiam, atquè etiam rogo, ut honoris mei causa liberrimè C. Valgium Hippianum tractetis, remque cum eo conficiatis: ut, quam possessionem habet in agro Fregellano à vobis emptam, eam liberam,

et immunem habere possit. Id si à vobis imperato, summo me beneficio vestro affectum arbitrabor. Valete.

ARGUMENTUM.

Narrat officium suum: commendat M. Bollanum; petit, ut sibi servum Dionysium restituendum curet.

M. T. C. P. Sulpicio Imp. S. D.

Cum his temporibus non sanè in senatum ventitarem, tamen ut tuas litteras legi, non existimavi, me salvo jure nostræ veteris amicitia, multorumque inter nos officiorum, facere posse, ut honori tuo deesem. Itaque affui, supplicationemque tibi lubenter decrevi; nec reliquo tempore ullo aut rei, aut existimationi, aut dignitati tua deero. Atque ut hoc tui necessarii sciant, hoc me animo erga te esse, velim facias eos per litteras certiores: ut si quid tibi opus sit, ne dubitent mihi jure suo denuntiare. M. Bollanum, virum bonum, et fortem, et omnibus rebus ornatum, meumque veterem amicum, tibi magnopere commendando. Pergratum mihi feceris, si curaris, ut is intelligat, hanc commendationem sibi magno adjumento fuisse. Ipsumque virum optimum, gratissimumque cognosces. Promitto tibi, te ex ejus amicitia magnam voluntatem esse capturum. Præterea à te peto majorem in modum pro nostra amicitia, et pro tuo perpetuo in me studio, ut in hac re etiam elabores. Dionysius servus mens, qui meam bibliothecam multorum nummorum tractavit, cum multos libros surripuissest, nec se impunè laturum putaret, ausugit. Is est in provincia

tua. Eum et M. Bollanus familiaris meus, et multi alii Naronæ viderunt. Sed cum se à me manussum esse diceret, crediderunt. Hunc tu si mihi restituendum curaris, non possum dicere, quām mihi gratum futurum sit. Res ipsa parva, sed animi mei dolor magnus est. Ubi sit, et quid fieri possit, Bollanus te decebit. Ego, si hominem per te recuperaro, summo me à te beneficio affectum arbitrabor. Vale.

ARGUMENTUM.

Petit, ut Democritum Sicyonium in suam fidem recipiat.

M. T. C. Allieno Procos. S. D.

Democritus Sicyonius non solum hospes meus est, sed etiam, quod non multis contingit, Græcis præsertim, valdè familiaris. Est enim in eo summa probitas, summa virtus, summa in hospites liberalitas, et observantia: meque præ cæteris et colit, et observat, et diligit. Eum tu non modò suorum civium, verùm etiam propè Achajæ principem cognosces. Huic ego tantummodò aditum ad tuam cognitionem patefacio, et munio. Cognitum per te ipsum, quæ tua natura est, dignum tua amicitia, atquè hospitio judicabis. Peto igitur à te, ut, his litteris lectis, recipias eum in tuam fidem, polliceare omnia te facturum mea causa. De reliquo, si, id, quod confido fore, dignum eum tua amicitia, hospitioque cognoveris; peto, ut eum complectare, diligas, in tuis habeas. Erit id mihi majorem in modum gratum. Vale.

ARGUMENTUM.

*Cajum, et Marcum Avianos fratres commendat,
alterum præsentem, alterum absentem.*

M. T. C. Allieno Procos. S. D.

Et te scire arbitror, quanti fecerim C. Avianum Flaccum: et ego ex ipso audieram, optimo, et gratissimo homine, quam à te liberaliter esset tractatus. Ejus filios, dignissimos illo patre, meosque necessarios, quos ego unicè diligo, commendando tibi sic, ut majore studio nullos commendare possim. C. Avianus in Sicilia est: Marcus est nobiscum, ut illius dignitatem præsentis ornes, rem utriusque defendas, te rogo. Hoc mihi gratius in ista prævincia facere nihil potes. Idque ut facias, te vehementè etiam, atque etiam rogo. Vale.

M. T. CICERONIS

EPISTOLARUM

AD TERENTIAM, ET ALIOS.

LIBER XIV.

ARGUMENTUM.

Exul deflet suam, suorumque calamitatem, ejusque culpam confert in amicorum consilia: villæ venditionem prorsùs improbat: alia quædam scribit.

M. T. C. Terentia, Tulliolæ, et Ciceroni suis S. D.

Et litteris multorum, et sermone omnium perfertur ad me, incredibilem tuam virtutem, et fortitudinem esse, teque nec animi, nec corporis laboribus defatigari. Me miserum, te ista virtute, fide, probitate, humanitate, in tantas ærumnas proptèr me incidisse! Tulliolamque nostram, ex quo patre tantas voluptates capiebat, ex eo tantos percipere luctus! nam quid ego de Cicerone dicam? qui cum primùm sapere cœpit, acerbissimos dolores, miseriasque percepit: quæ si, ut tu scribis, fato facta putarem, ferrem paulò facilius: sed omnia sunt mea culpa commissa, qui ab his me amari putabam, qui invidebant: eos non sequebar, qui petebant. Quòd si nostris consiliis usi essemus, neque apud nos tantum valuissest sermo aut

Kk